

Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam 18
5 aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut
omissa expeditione ad securitatem et hostes ad occasionem
verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum 2
eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat,
eoque initio erecta provincia. et quibus bellum volentibus 3
10 erat, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri,
cum Agricola, quamquam transvecta aestas, sparsi per pro-
vinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies,
tarda et contraria bellum incohaturus, et plerisque custodiri
suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit ;
15 contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu,
quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante
agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit
aciem. caesaque prope universa gente, non ignarus instan- 4
dum famae ac, prout prima cessissent, terrorem ceteris fore,
20 Monam insulam, a cuius possessione revocatum Paulinum
rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in
potestatem animo intendit. sed, ut in subitis consiliis, naves 5
deerant : ratio et constantia ducis transvexit. depositis
omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada
25 et patrius nandi usus, quo simul seque et arma et equos
regunt, ita repente inmisit, ut obstupefacti hostes, qui
classem, qui navis, qui mare expectabant, nihil arduum
aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus. ita 6
30 cola, quippe cui ingredienti provinciam, quod tempus alii